

BENEVOLO LECTORI.

Fr. HYERONIMVS NICOLIVS.

IBER hic, carissime Lector, quem pri-
mum in lucem exire vides, est velu-
ti quædam appendix maioris Operis
in alios duos tomos distincti, quo to-
tum Canonicum, ac Ciuile Ius vber-
tim explicatur. Verum quia quod ter-
tio editurus eram, primo loco, vt Superiorum ius-
sis, veluti par est, obtemperarem, edere coactus sum;
nonnulla, quæ in principio totius operis admonue-
ram, hic quoque repetere operæ prætium duxi.

I. Quod quæ in alijs duobus tomis diffusæ sunt
explicata; hic vel silentio prætereuntur, vel tan-
tum remissive indicantur, vel ad summum com-
pendio traduntur.

II. Ne hic effusam Doctorum allegationem de-
sideres, quod repugnet breuitati, quam in omnibus,
præsertim in his Flosculis consectari consentaneum
erat, vt qui præ manibus eorum, qui grauissimis
Curiæ, præsertim Ecclesiasticæ, negotij distenti sunt,
verisimiliter sint futuri.

III. Cum liber hic vniuersalis sit, in gratiam Ty-
ronum, qui Digestorum libros, & titulos non be-
nè perspectos habent ad eorum laborem leuandum,
ne pro quacumque lege inuenienda, tres omnes Di-
gestorum tomos cogantur euoluere; addita parua
littera indicaui, quo Digestorum tomo titulus ille

repe-